



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Sacra-||mento Evcharistiae,|| contra Oecolampadium,
opusculum:||**

Clicthove, Josse

Coloniæ, 1527

VD16 C 4208

Rationu[m] q[ui]bus co[n]tendit Lutherus in eucharistia post
consecratione[m] manere substantiam panis, una cum sacro Christi
corpore: dissolutio. XXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30220

batur, & in medio illorum consistebat in propria & visibili forma. quo propensiore affectu: tardiores reddebantur ad sustollendos in caelestia animos.

Cum uero sublatu fuit illis aspectus ille corporis Christi manifestus: tunc redditi sunt aptiores ad diuina capiendā mysteria. Ideo apud Ioannem: dñs ipse dixisse illis legitur. Expedi uobis: ut ego uadam. Si enim nō abiero: paraclitus non ueniet ad uos. Si autē abiero: mittam eum ad uos. At in sacra eucharistia non sic adest nobis praesentia Christi, in propria forma conspicui & spectabilis: sed occulta sub tegmine specierum panis & uini. Idcirco non est illa praesentia eius nobis obstaculo: quo minus in caelestia feramur, & spiritualia a deo dona percipiamus. quinimo ad id ipsum, maius praebet huiusmodi assistentia corporalis dñi, nobis incitamentū & adminiculū cū soleamus (ut modo dictum est) in ea q̄ coram assunt, feruentius affici.

Ioan. 16.

¶ Rationū, quibus contendit Lutherus in eucharistia post consecrationē manere substantiā panis una cum sacro Christi corpore dissolutio.

Cap. XXII

AT uero qm̄ in uicesimo praecedētis libri capite dictū est Lutheri nostra aetate cū ceteris perniciosus suis dogmatibus & hanc resuscitasse erroneam & iam olim damnatam assertionem: q̄ in sancta eucharistia, peracta consecratione sacerdotali, maneat integra & indemutata panis substantia simul cum sancto Christi corpore, sub iisdem ipsius panis speciebus: operae precium nunc fuerit aliquas eius rationes in praesentia afferre & dissoluere, quibus in suo libro, de captiuitate Babylonica, tot scri-

Lutherus
transubstan-
tiationem
negat.

DE SACRAMENTO.

Obiectio-
nū Luthē-
ri contra
transubstā-
tiationem
dissolutio

me erroribus quod scētentijs scātēte, & in libro suo apologetico ad prioris illius defensionē postea elaborato. conatur prædictam astruere suam positionem de subsistentia panis in eucharistia cum corpore Christi, & transubstantiationis fidē (q̄ tota tenet ecclesia) penitus euertere. ¶ Est igitur prima eius ratio, ad id tēdens: huiusmodi. Verbis diuinis non est ulla faciēda uis, neq; per hominē neq; per angelū, sed quantū fieri pōt, in simplicissima significatione seruanda sunt: & nisi manifesta circumstantia cogat, extra grammaticam propriā accipiēda nō sunt: ne detur aduersarijs occasio totā scripturam eludēdi. At uis fit uerbis diuinis, si quod Christus ipse uocat panem: hoc nos dicamus intellegi panis accidentia, & quod ille uinū uocat: hoc nos dicamus esse uini speciem. Omnibus ergo modis, uerus panis & uerū uinū restat in altari: ne uerbis Christi fiat uis, si species sumatur pro substantia. Nā cū euangelistæ clare scribant Christum accepisse panē ac benedixisse: uerū oportet intelligi panē, uerumq; uinū, sicut uerū calicem. Non enim calicem transubstantiari: etiam ipsi dicunt. Hæc Lutherus. ¶ Responsio. Fatemur ingenue id ipsum: quod primo loco assumit præsens obiectio. Fatemur itidem & secundo in loco assumptam propositionem: nisi quiddam manifeste falsum in se clauderet. nos. s. id ipsum quod Christus panem uocat: dicere, intelligi debere panis accidentia. & quod dominus noster uinum nominat: nos asserere. accipi debere uini speciem. Non enim illud dicimus, neque in hac materia tale quiddam proponimus: unde recte colligi possit & nobis imponi, q̄ speciem sumamus pro substantia. Sed quod Christus panem & uinum nominauit ante ipsum consecratio

Matt. 26,,
Mar. 14,,
L 22,,
3

nis articulum. astruimus uere panem & uinū fuisse, & ita pro illo temporis spacio nominari debere. Et quod post consecrationē a se factā Christus nō panē & uiuum, sed suum corpus nūcupauit & sanguinē: dicimus cum ecclesia catholica, non panis accidētia aut uini speciē intelligi debere aut appellari, sed uerū Christi corpus sub accidentibus panis contentū: & uerum itidē Christi sanguinē, sub uini speciēbus occultatū. Et ita facientes, nullā inferimus uim aut obtortam intelligētā uerbis diuinis: sed iuxta propriam significationem & sensum planū quem euangelistæ expresserunt, eadē accipimus. Siquidē tres sancti euangelistæ nec nō & beatus Paulus in prima ad Corinthios epistola cōmemorantes primam huius sacratissimi eucharistiæ mysterij institutionē: referunt Christum in manus suas accepisse panē, itidē & calicem uinum continentem. & pro illo temporis puncto: panem & uinum nominant: Cum uero describunt Christum porrexisse discipulis, quod cœlestis benedictionis uirtute consecrauerat: tum non panem & uinum, sed corpus suum & sanguinem. Christum dedisse eis enarrant, & plane corpus & sanguinē eius uocant. Iusup annuimus uerū fuisse calicem, quantū ad propriam eius substantiam post consecrationē uini: sicut ante fuerat. qm̄ ipsa consecrationis uirtus a Christo in prima huius mysterij institutione, in ipsam calicis substantiam non ferebatur: sed duntaxat in uinum calici impositum. At uirtus ipsa consecratoria: plane in panem fertur & uinum altari impositū, ex primaria Christi institutione. Idcirco neutrum eorū secundum substantiā superest, perfecta consecratione: sed panis in uerū Christi corpus, & uinum in eius sanguinē

Quē loquē
di modum
Crīi uer-
bis cōfor-
mē: tenet
ecclesia.

1. corin. II.

DE SACRAMENTO.

„ conuertitur: ¶ Secunda Lutheri ratio: Ex filo ser-
 „ monis euangelistarum de institutione sacramen-
 „ torum, p̄mptum est ostendere: pronomen
 „ hoc in uerbis domini, hoc est corpus meum, ad pa-
 „ nem aptari. & sic sonare apte Christi uerba, hoc
 „ est corpus meum: id est, hic panis est corpus. Nā
 „ textus sic habet. Accepit panem, benedixit, fregit
 „ & dixit. hoc est corpus meum. Vides hic, ut om-
 „ nia illa uerba accepit, benedixit, fregit: de pane di-
 „ cantur, & eundem demonstrat pronomen hoc.
 „ Quia illud ipsum quod accepit, benedixit & fre-
 „ git: hoc inquam acceptum, benedictum & fractū
 „ significatur, cum dicitur, hoc est corpus meum &
 „ ita illic non prædicatum: sed subiectum demon-
 „ stratur. Non enim corpus suum accepit, benedixit
 „ & fregit: sed panem, ideo non demonstrat corpus
 „ sed panem. Hæc sunt plana uerba Christi: quæ ne-
 „ quiter ab ijs detorquentur in alienum sensum, &
 „ pronomen hoc in illis, ad corpus propria temerita-
 „ te accommodant. Hæc Lutherus. ¶ Responso
 „ Hac ratione contendit Lutherus: in illis domini
 „ nostri uerbis, hoc est corpus meū pronomen hoc
 „ ad panem demonstrandum referri debere: & nō
 „ ad corpus. Sed inepte prorsus & absurde. Tum
 „ quia si panem demonstrare uoluisset illic Christus
 „ dicere utiq; debuisset iuxta linguæ latinæ proprie-
 „ tatem. hic (scilicet panis) est corpus meum. & nō
 „ hoc, in neutro genere. Et in calicis consecratione:
 „ dicendum a Christo fuisset. hoc (scilicet uinū) est
 „ sanguis meus. & non, hic est sanguis meus. uel hic
 „ est calix sanguinis mei. cū pronomen demonstras
 „ & rei demonstratæ nomen: eiusdem esse debeant
 „ generis secundum, grammaticæ regulas. Tum eti-
 „ am: quia si in his uerbis domini, hoc est corpus me-

Ch̄m in
 x̄bis suis
 cōsecrato-
 rijs: nō pā-
 nē corpus
 suū demō-
 strasse,

um, pronomen hoc, demonstraret panem, iuxta Lutheri placitum: sensus illius esset (quem & ipse assignat & admittit) hic panis est corpus meum. Et ita eadem omnino res secundum substantiam: esset panis triticeus & corpus Christi, quod nō modo falsum est, sed & impossibile: humanæq; mentis fugiens captum. quæ comprehendere nequit: unam rem esse alteram, prorsus a se diuersam, ut circa finem primi libri huius operis: est ostensum. Proinde tenendum est inconcussè in illis Christi uerbis, hoc est corpus meum, pronomine hoc, sacram Christi corpus sub forma panis contentum demonstrari, quemadmodum postremum libri præcedentis caput: latius explicuit. ¶ Neq; ex filo sermonis euangelistarum, poterit Lutherus (ut iactitat) conuincere: uerba domini prædicta, ad panem materiale aptari debere. Nempe secundum eorum sacram & ueram narrationem: accepit quidem Christus in manus suas panem. sed antequàm eistunc quicquam porrigeret: illum in suum corpus diuina uirtute conuertit, & illud suum corpus illis porrexit. Quæ satis insinuant uerba ipsius subsequentiâ, utputa, hoc est corpus meum. Non itaque idem secundum substantiam, accepit Christus in manus: & suis deinde tradidit discipulis, ut cōtendit Lutherus, uolens omnia ea uerba illic apud euangelistas posita, & præsertim uerbum dedit: ad panem referri, sed perperam. Sic sane non eadem erat substantia, quam Moyses manu tenuit cum uirgam haberet: & quæ post illius in terram projectionem reptauit & serpsit, atq; territum Moysē in fugam conuertit, quod diuino miraculo uirga fuisset in colubrum uersa. neq; cum ipso colubro superfuit uirgæ substantia: neq; postea in uirga, su

Cap. 20.

Matth. 26
Marci. 14
Luca. 22.

Exod. 4.

DE SACRAMENTO.

.1. naoI

perstes fuit colubri natura. Similiter ministri in missis
 ptijs impleuerunt quidem hydrias aqua: ut iussit
 tat dominus. nō tamen aquā architriclino propina-
 runt & exhibuerunt: sed uinum, in quod, antequā
 haurirent ex hydrijs quicquam, aqua fuerat mu-
 tata. Sed nunquid in uino illo & cum eo; mansit in
 tegara aquæ substantia post huiusmodi conuersio-
 nem? Nullus id plane diceret. Ita certe post conse-
 crationem, neque cum corpore Christi dicenda
 est superesse panis substantia: ut quæ iam sit in ip-
 sius corpus conuersa. neque cum sanguine Chri-
 sti restare uini materialis substantia sub eius spe-
 ciebus: q̄ uirtute consecrationis, ipsa sit in uerum
 eius sanguinem transmūtata. quemadmodum in
 superioribus locis, potissimum in uicesimo libri
 præcedentis capite: diffusius est explicatum. ¶ Ter-

I. roc. »

17

tia Lutheri ratio. Beatus Paulus in decimo primæ
 epistolæ ad Corinthios capite: dicit. Panis quem
 frangimus: nonne participatio corporis Christi
 est? Non ait: corpus quod frangimus. non ait: nihil
 illud, consecrationis reliquum, quod frangimus:
 aut accidentia quæ frangimus, sed panis quem frā-
 gimus. utique iam benedictus & consecratus.

II. roc. I »

Hic igitur panis benedictus: est participatio cor-
 poris domini. Et simile habetur in eiusdē epistolæ
 ad Corinthios undecimo capite: ubi dicit Paulus
 Qui manducat hunc panem & bibit calicem dñi
 indigne: reus erit corporis & sanguinis dñi, iudi-
 ciumq; sibi manducat & bibit. Ex qbus locis liq-
 do constat: ipsum panis substantiā, post consecra-
 tionē manere i eucharistia cū corpore Christi, sub
 eisdē accidentibus ipsius panis. Alioq; non uere nec
 recte: panis ab apostolo in locis supra dictis nomi-

23

naretur. ¶ Responsio. Ex quinto libri huius capi-
 te: habetur omnimoda & plena solutio huius rati-
 onis Lutheranae, ubi aliquot assignate sunt causae
 sacrarumque literarum testimonio corroboratae:
 quare sacrum CHRISTI corpus in eucharistia
 sub accidentarijs ipsius panis (qui iam secundum
 substantiam omnino desijt) speciebus vere substi-
 stens, nominetur plerunque panis. Quarum duae
 primae, etiam huic loco congrue adaptantur: & hoc
 pacto haud inconuenienter accommodari possunt.
 Prior quidem, quoniam mos est scripturae sacrae,
 appellare interdum quippiam, non id quod est, sed
 quod ante fuerat. & id quod per conuersionem est
 factum: uocare nomine illius, quod in ipsum est
 conuersum: ut serpentem ex uirga Aaron factum:
 scriptura uocat in Exodo, uirgam Aaron. Idcirco
 diuinus Paulus hunc loquendi morem & sermo-
 nis usum secutus: sacrum Christi corpus in locis an-
 te citatis uocauit panem, quonia ex pane per tras-
 mutationem est factum, & panis in ipsum: uirtute
 consecratoria conuersus. Posterior uero causa il-
 lic expressa: etiam & hic apte applicatur, quonia
 scilicet scripturae sacrae plerunque est consuetudo
 quippiam nuncupare nomine illius rei, in cuius for-
 ma apparet, & cuius praese fert speciem. Vt ange-
 los sanctos, nonnunquam uiros appellatos in diui-
 nis eloquijs legimus: quoniam in uirorum specie
 apparuerunt hominibus. Huc igitur sermonis mo-
 dum nequaquam improbandum imitatus aposto-
 lus: sanctissimum Christi corpus, panem appellauit,
 in locis a Luthe. in obiectione annotatis: quoniam
 ipsum in forma panis nobis apparet & conspicitur:
 illiusque, ob remanentem figuram & accidentia, praese
 fert similitudinem. Verum neque ex priore harum

» 8

Exod. 7

Gen. 18.
 Tob. 12.
 Act. 1.

DE SACRAMENTO.

rationū neq; posteriore, colligere: possit in eucha-
ristia manere panis substantiam, un a cum sarro
Christi corpore, iuxta beati Pauli sententiam. quin
potius omnino oppositum: ex prædictis recte con-
ficias. quandoquidem illic apostolus, nō panem uo-
cauit ipsam panis materialis substantiam: sed san-
ctum Christi corpus. tum quod panis in ipsum cō-
uersus est: & ante fuerat panis. tum etiam quod ip-
sum, specie tenus gerit panis imaginem. illic; quā-
tum ad exteriores illas proprietates accidentarias

- 9 adhuc assimilatur ¶ Quarta Lutheri ratio. Pri-
mitiua ecclesia & illius seculi patres, penitus igno-
rarunt transubstantiationis ipsius rem atq; fidem:
neq; de illa quicquam meminerunt, aut scriptis su-
is tradiderunt. Sed ab hinc trecentos annos, a tem-
pore scilicet Innocentiū tertij: inducta est primum
transubstantiationis credulitas & articulus. Atqui
non tutum est neque probandum: quicquam tam
anxie ad fidem spectans, noua auctoritate inuehe-
re ecclesiæ, aut circa credenda: nouum quippiam
inferre aut ingerere auribus & animis hominum.
Non est igitur recipienda illa, de transubstantiatio-
ne, quorundam assertio: sed in ipsius primitiua ec-
clesiæ fide & doctrina standum. tenendumque: in
eucharistia remanere integram panis substantiā
simul cum Christi corpore. Hæc Lutherus ait.

10 ¶ Responsio. Inficiandum est prorsus: quod primo
loco hic proponitur, & contra sentiendum: fidem
de transubstantiatione in eucharistia, a principio
fuisse nascentis ecclesiæ, & a primordio institutio-
nis sanctissimi huius sacramenti. Siquidem illam
Christus per hæc sua uerba, hoc est corpus meum
in ipsa primaria illius mysterij ordinatione insinua-
uit; eandemq; apostolos edocuit, & per eos, totam

Fidē de
trāsubstan-
tiatione a
principio
fuisse na-
scētis ec-
clesiæ,

ecclesiā. Eādem quoq; fidē orthodoxi patres illius
 priscæ ætatis & proxime sequentium sæculorum:
 suis scriptis explicuerunt & sunt professi: quemad-
 modum ex multis eorum sententijs in libro præ-
 cedente sparsim adductis, præsertim in capite eius
 uicesimo primo: clare liquet. Quinimo in primo
 huius libri cap. etiam diffusius est enodatum: quo
 modo articulus ille de transubstātiatione, ex sacris
 literis deducitur, & potissimum ex hisce CHRIS-
 TI uerbis: hoc est corpus meum. Et quamuis
 (ut credibile est) ante tempora Innocentiū tertij, no-
 men transubstātiationis non usque adeo uulgatū
 fuerit, aut in frequenti ecclesiæ usu receptum: sic-
 ut postea, res tamen ipsa transubstātiationis, alijs
 nominibus (ut conuersionis, aut transmutationis)
 a sacris doctoribus explicata: semper recepta fuit,
 & asserta, ab ipso surgentis ecclesiæ exordio. Quē
 admodum ante conciliū Niceni tempora, non legi-
 tur nomen consubstantialitatis: a sacris scriptori-
 bus in crebro fuisse usu: quod hæreticorum impro-
 bitas ad egit tum usurpari frequentius: & deinceps
 in omnium ore uersari. Res tamen ipsa, eo nomi-
 ne expressa: ab ipso Euangelicæ legis initio, nota
 fuit orthodoxis patribus, & explorata. quinimo
 & ex hoc euangelij fonte deprompta: quo Chri-
 stus dei filius, de se, & patre suo loquens, ait: Ego,
 & pater unum sumus. ¶ Quinta Lutheri ratio.
 Qui panis substantiam negant in eucharistia rema-
 nere cum Christi corpore post consecrationem: in-
 ter cætera argumenta sua adducunt & id uerbum
 Ambrosij. Licet figura panis & uini uideatur in
 eucharistia: nihil tamen aliud, quàm caro & san-
 guis Christi, credendum est. Atqui illud Ambro-

Ioan. 10

” Il

”

”

”

” Ambro.

”

”

X

DE SACRAMENTO

„ si dictum, seipsum interimit: cum impossibile sit,
 „ aliud nihil remanere quàm corpus & sanguinem
 „ post consecrationem. Nisi apud illos: forma, color
 „ frigus, & alia accidentia: nihil esse dicantur. Nam
 „ hæc certe ut non sunt nihil: ita ea remanere ui-
 „ demus: ut Ambrosium hic errasse, palam etiam
 12 „ palpemus. Hæc Lutherus. ¶ Responsio. Intole-
 rabilis est hæc Lutheri insolentia, & nequaquam
 ferenda animi arrogancia: qua manifestarium er-
 rorem impingit sacro antistiti Ambrosio. cum ta-

Particulã
 nihil, pro
 nulla sub-
 stantia: in
 terdum
 apud auto-
 res sumi

men ipse contra crasso teneatur errore: & penitus
 cespitet circa rectam uerborum ipsius Ambrosij
 intelligentiam. Nempe beatus ipse pater cum in
 uerbis præsentis obiectioni insertis dicit, nil aliud ef-
 se credendum in eucharistia, quàm carnem Chri-
 sti & sanguinem: per eas dictiones, nihil aliud, in-
 telligit nullam aliam substantiam in eucharistia ef-
 se credendam, quàm corpus & sanguinem Chri-
 sti. Neque particulam illam negatiuam in omni-
 moda sumit generalitate: ut etiam accidentia suo
 ambitu includat. Quomodo enim negaret Ambro-
 sius accidentia panis & uini non manere in eucha-
 ristia: qui asserit in iisdem uerbis, figuram panis et
 uini illic uideri? Nonne figura, & color, ac cæteræ
 id genus qualitates uisu perceptibiles: in acciden-
 tium numero ac sorte reponi solent? At uero Lu-
 therus particulam illam negatiuam nihil, omni-
 no sumendam esse uniuersaliter in uerbis illis Am-
 brosianis autumat: ut etiam accidentia suo sinu
 claudat. Et idcirco alteri errorem imponens non
 erranti: ipse se errare non putans, grauiterrat.
 Cæterum hæc per quandam, quasi digressionem
 dicta, non tamen nostro instituto inutilia: nunc sus-

ficere putanda sunt. ¶ Ex quibus, cum ijs quæ in toto hoc opere de Oecolampadiana circa eucharistiam assertione dicta sunt, colligere promptum est: Lutherum una in parte ipsi ecclesiæ aduersari, & in eadem cum Oecolampadio sentire: eo ipso scilicet, quod substantiam panis in eucharistia ponit superesse post consecrationem. Altera uero in parte, eundem Lutherum cum Ecclesia sancta sentire in hac eucharistiæ materia: & ipsi repugnare Oecolampadio: ea uidelicet in re, quod in sanctissimo altaris sacramento ipsum CHRISTI corpus ueraciter & re ipsa contineri asserat. Oecolampadius uero in utraq; suæ assertionis parte: omnino ex opposito cum ecclesia pugnat. Nam & substantiam materialem panis post consecrationem superesse integram astruit: quod ecclesia catholica prorsus abnegat, & sanctum Christi corpus in eucharistia secundum ueritatem suæ substantiæ adesse diffiteretur: quod tamen ecclesia sancta, pia confessione amplectitur & credit. Quocirca multo grauior est ipsius Oecolampadii circa eucharistiam error quam Lutheri: quod huius sit unicus, illius uero duplex & geminus. Cæterum ambo, illud commune inter se habent erroris consortium: quod transubstantiationis & nomen & rem omnino repudiant, quorum tamen utrunque: ecclesia catholica & pie & religiose profitetur. ¶ Sed iam percurso susceptæ confutationis opusculi Oecolampadiani stadio, metam propositi negocii iam assecuti, nostrum hic cursum sistamus oportet. Siqua uero in prædicto aduersarij libro supersunt, improbatione digna, quæ hic expressa determinatione non attigimus: per ea quæ in præsentī elucubratione

Assertio-
num Lu-
theri, &
Oecolam-
padii, circa
materiam
euchari-
stiæ: adin-
uicē com-
paratio.

15

DE SACRAMENTO.

Determinatio facultatis theologiae Parisiensis: contra Oecolampodium.

sunt explicata, facile illa conuelli elidique poterunt a studiosis & sedulis lectoribus. ¶ Porro ad ampliorem supra dicti libri Oecolampadiani reprobationem: magnum id adijcit pondus atque momentum, & plurimi certe faciendum. quod anno superiore facultas sacrae theologiae studij Parisiensis (cuius & ipse, licet immeritus, sum alumnus) eundem librum matura & diligenti indagine a se examinatum ac excussum: in sua publica congregatione, unanimi omnium consensu, censuit errorem in fide & impietatis referrißimum esse, haberi que debere: atque in sacrosanctae eucharistiae ueritatem & reuerentiam, praesertim blasphemum. Quocirca lectionem eius, fidelibus omnibus interdiciendam, doctrinali sententia tunc etiam iudicauit: ipsumque librum ultricibus flammis exurendum, ne contagione errorum illius, incauti lectores insiciantur. Ex hac igitur theologorum Parisiensium determinatione, aliquanto facta tempore antequam ad haec scribenda animum applicarem cognoscere promptum est, non ab re me calamum in eum librum strixisse. Verum illo penicus reiecto, & caeteris omnibus, consimilem impietatem olentibus (ut tandem extremam coepto huic operi manum imponamus) enitamur pro uiribus tam firma fide, piaque deuotione & reuerentia Christum in sacra eucharistia uere praesentem, sed tabernaculo sensibili adopertum, colere: ut tandem eundem reuelata facie, positoque omni uelamine contemplerur aperte in gloria caelesti. Et quem nunc sub tegumento specierum ueneramur absconditum: demum speculemur clarissimo gloriae lumine palam conspicuum. Cui sit laus & gloria, ac gratiarum actio; in secula seculorum, Amen.